

# **Cartulaire de Marmoutier pour le Perche (N.-D. du Vieux-Château Collégiale de St-Léonard de Bellême et Prieuré de St-Martin-du-Vieux-Bellême), Nr. 153**

Universis presentes litteras inspecturis Guilelmus, dominus Folieti, salutem in Domino. Noveritis universi quod cum inter dilectos in Christo viros religiosos abbatem et conventum Majoris Monasterii, ex una parte, et me, ex altera, fuisset diutius contentio agitata, Abbate Sancti Juliani, officiali, et magistro Richardo, canonico Turonensi, iudicibus a Domino Papa electis, super quadam annua procuratione quam petebam in prioratu de Boisse ; tandem post multas et longas altercationes cessi liti, concedens, fide prestita corporali, quod nec ego, nec heredes mei, procurationem illam possimus de cetero repetere, nec in prioratu illo, aliquid juris, ratione predictae procurationis, de cetero reclamare. Dicti vero monachi, propter benignitatem quam super hoc exhibui eisdem, mihi quadraginta libras Turonenses liberaliter contulerunt. Quod ut ratum et stabile permaneat in perpetuum presentes littera sigilli mei munimine confirmavi. Datum anno gratie Mo CCo XXVo.